

An

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEORGIVS
AVGVSTVS
LANGGVTH
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE
DOCTOR PATHOL. ET CHIRVRG.
PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT
MED. SENIOR

CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.

автоля
АКАДЕМИЧЕСКИЕ ВЫПУСКИ
ГЕОРГИЕВСКАЯ АКАДЕМИЯ
АКАДЕМИЧЕСКАЯ
ПРИЧИНА И МЕДИЦИНА
ДОКТОРСКАЯ ЧАСТЬ
ПРОФ. ПАВЛ. ОРБИЛ. ФАКУЛЬТ.
МЕД. СЕНIOR
СИРИБАС. АКАДЕМИЧЕСКИЙ



ORTVS IESV PAX ORBIS TERRARVM

Luc. II. 14

Orbem pax recreet, concinit agminis
Aethrae uox resonans, candida pax
beet
Orbem. Pacis adest Rex placidus,
polum
Qui clausum referet flagitiis humi,
Ac reddat miseris aurea saecula.
Cum primos homines e nihilo uocat
Dictis ille opifex, consimiles sibi,
Non fucatus amor corda replet pia.

msT
): (2

Gra-

Gramen lectus erat purpureus rosis,
Et coelum laquear sideribus micans.
Mulcebant Zephyri, uocibus alitum
Immisi, requiem, pectore libero
Curae, continuam, nec similem ferae
Morti. Non duplicitis retia coniugis
Fallebant socium blanditiis tori.
Nondum praeualidis turribus oppida
Surgebant, foueis cincta patentibus.
Non cornu strepitum, non tuba flexilis,
Pugnae signa dabant, non galeae coma,
Non fulgor gladii, terribiles procul.
Strabat grata quies tum sine milite.
Humanam sequitur bellua gratiam.
Agnos sanguinei non lacerant lupi,
Nec pardos oculis cernit inertibus
Hoedus fulmineos. Vel puero duce,
Scymni cum uitulis conueniunt simul,
Vrsis cum rapidis prata boues petunt.
Amhorum catuli perlepidis iocis
Colludunt, Libycus strata capit leo,
Lactentisque manum fert mala uipera,
Antrum nec refugit principis anguum,
Stridorisque sonum, pulsus ab ubere.

Tam

Tam concors animus temperat omnia.
O dirum facinus, quod meruit graues
Poenas iustitiae, quod bona perdidit
Audax tanta sibi, quod spoliat suis
Natos ptaefidiis innumerabiles.
Tum pax destituit, carmine iudicis
Tactos, dulcis agros, surgit atrocior
Proles ingenio, et pronior ad nefas.
Virtus spreta iacet, nec pudor et fides
Immanem retinet stultitiae luem.
Nil perrupta ualent uincia iugalia,
Lymphatae furii nec cadit impetus
Uxor prius, ac pernicie pari
Puro sieta dolis uerba dedit uiro.
Fratri corda tument inuidia truce,
Quod frater peragit munera, Numini
Sancto grata magis, raptaque desuper
Flammis, cum segeti nullus inest honor.
Atra bile furens insidias struit,
Prostratum iugulat delicium domus,
Fraternoque manum sanguine polluit,
Qui clamore ferit sidera flebili.
Giscit cum numero post violentia,
Ac secreta fodit viscera montium,

: (3

Dum

Dum ferrum reperit uulnificum, et sitim
Lenit saeuitiae non tolerabilis.
Iam Bellona ciet sordida gentium
Rixas mortiferas, bellaque matribus
Detestata. Fugit pax stabilis globos
Permistas hominum, caede madentium.
Tandem moesta uidens arce sua ardua
Summus damna Pater, tangitur intime,
Coelestisque uocat consilium chori.
Rumpit magnifica uoce silentium.
Mortales pereunt uulnere mutuo,
Inuentor scelerum quos Stygius mouet,
Ni promptas tulero suppetias malis.
Hoc unum supereft immedicabili
Morbo subsidium, quo dare non licet
Maius, nec facerem, gloria ni mea
Ærumnis homines posceret eripi.
Æterno ueniat progenies noua
Terris de gremio, quae ferat otia,
In cunisque iacens, belligeras citet
Turmas, ac iubeat, bella quiescite.
Coelum conticuit, maximus et stupor
Mirabunda tenet pectora protinus,
Tam charum pretium, iudicio Dei,

Poni

Poni terrigenis, indomito gregi.
At desiderium Filius obsequens
Praediō patrium tempore perficit.
Immensum penetrans aethera lauream
Tendit pacificam bella gerentibus,
Quos sermone fouet blandiloquo puer.
Quae discordia uos effera concitat,
Gentes, ac rigidis conditionibus
Spernit tot gemitus, quos patriae diu
Verus fundit amor, fluctibus obrutae.
Cur se membra petunt corporis unius,
Cur fratres perimunt, quos generis caput
Vnum consociat, quos, faciles, precor,
Sitis, dextra Dei condidit unius.
Haec si non tumidas debilitant minas,
At uestigia uos stringite Numinis.
Quam clemens radios hostibus aurei
Solis restituit, quam cumulat bonis
Largis, hos pudeat quo petulantiae.
Quin sedes superum deserо lucidas
Infans, et subeo pauperiem probam,
Ut pandat placidas rex hominum manus.
Quare profluuiο parcite sanguinis,
Quem iudex redimit sanguine filii.

Bello


OKT. 28/16

Bello nulla salus, pangite foedera,
Armis depositis, certa nepotibus.
Haec ut dicta Deus mentibus imprimat,
Defessamque leuet mox Alemanniam,
Coniunctis precibus, munifica manu,
Certemus, memores Principis Optimi.
Ortu qui nitido regna Quiritium
Augusti reparas turbida saeculo,
IESV, des, oleae ferta uirentia
AVGVSTI decorent tempora amabilis



P. P.


IPSO NATALI IESV
ciclo CC LIX



VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.





RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
G E O R G I V S
A V G V S T V S
L A N G G V T H
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE
DOCTOR PATHOL. ET CHIRVRG.
PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT
MED. SENIOR
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D